



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

4. De actionibus zeli animarum. Thema. Zelus domûs tuæ comedit me.
Joan. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

EXHORTATIO IV.
IN REGULAM II. SUMMARII.

De actionibus zeli à Novitiis exercendis.

T H E M A.

Zelus Domus tue comedit me. Joan. 2.

VEL:

Impense in salutem & perfectionem propriam & proximorum incumbere. Reg. 2.



UM Redemptor noster, Joan. 2. *Fecisset quasi staggellum de funiculis, & eiecisset è templo oves & boves & columbas vendentes*, subjungit, Sanctus Evangelista, *Recordati sunt Discipuli ejus, quia scriptum est.* (Psalm 68. 10.) *Zelus Domus tue comedit me.* Id est, *Zelus seu fervor, ardensque studium promovendæ gloriæ templi tui, in quo tu, ô Domine, quasi in domo tua habitas; atque indignatio;*

quam in vendentes, qui illud profanant & pessumidant, concepisti, *comedit me*, id est, absorbit me. Simmachus vertit, consumpsit, exedit me, sicut ignis ferrum consumit, & in se transmutat, ut jam non ferrum, sed merus ignis esse videatur. *Tempus est ut incipiat judicium à Domo Dei*, ait Sanctus Petrus 1. Epist. cap. 4. *A Domo sua Christus Dei Filius cepit*, ex illo bruta animantia, terrenaque sectantes lucra flagello expulit. Quo facto docet Reges, Episcopos, Sacerdotes, Religiosos, Prælatos, imò & ipsos Novitios, ut à domo sua incipiant, & vitia

Avari-

Avaritiæ, Superbiæ, Iracundiæ, Luxuriæ; cæterosque brutos affectus eiciant. Nemo illorum patietur in aula sua; aut cubiculo stabulari suæ aut boves, & patietur suis; bobusque sordidiores stabulari mores? Præteritis reliquis, agam hodie de Novitiis ostendamque, quomodo à domo sua incipere debeant, & actus zeli animarum exercere; idque *impensè*, studiose, diligenter & ferventer juxta Regulam secundam, ob harum actionum excellentiam.

I.
Actiones
zeli ani-
marum.

1. Actiones zeli enumerat Sanctus Albertus Magnus in Paradiso cap. 26. ubi inquit: *Zelus animarum verus & perfectus est, quando quis sanctis meditationibus, ferventibus desideriis, lacrymis, orationibus, vigiliis, jejuniis, prædicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis, atque aliis operibus bonis, pro salute animarum laborat.* Primam igitur, quam Sanctus Albertus zeli actionem numerat; est

1. *Meditatio*, quæ sæpe instituenta est de præstantia hominis, nobilitate animæ, exemplis zeli, relucen- tibus in Christo & sanctis Apostolis, de magnitudine præriorum, quæ peccatores amittunt, de infinitate & æternitate suppliciorum infernalium, quæ peccatores incurrunt. Zelum enim, (teste Cornelio à Lapide in capit. 33. v. 10. Deuteronomii) maximè acuit cogitatio æternitatis: Quis enim contra peccata non zelet, si cogitet illud: *Momentaneum quod delectat; æternum quod cruciat? Quis pro felici æternitate sibi aliisque assicuranda, labores*

omnes, dura omnia non ambiat? Hic ignis zeli exarsit in meditatione Davidis, unde exclamabat: *Zelus Domus tue comedit me.* Psalm. 68. 10. Inde oriebatur zelus Sancti Francisci Xaverii, & Sancti Francisci Seraphici, de quo Sanctus Bonaventura in vita ejus L. 1. cap. 9. Meditentur itaque Novitii, futuri aliquando factores æternitatis; & comedat eos, absorbeatque 1. Zelus Domus suæ, id est sui ipsius, seu propriæ salutis & perfectionis. 2. Domus probationis & Fratrum suorum. 3. Domus Ecclesiæ. 4. Domus totius mundi. D. Chrysostronus perpendens, à duodeno Apostolorum numero, convertos ad Christi fidem tot populos, scilicet à Thoma Indos, ab Andrea Archivos, à Joanne Asianos, à Thadæo Mesopotamios, à Chanano Ægyptios, à Bartholomæo Armenios; Stimulum sibi peracrem addi sentiebat, & pudore suffusus, ignaviam suam deplorabat, ac zeli defectum in se inculcabat: Homil. 47. in Matth. *Si duodecim homines, inquit, putà Apostoli, totam penè farinam orbis fermentarunt; animo versa, quanta sit nostra malignitas atque ignavia, qui cum jam innumerissimus, has gentium reliquias convertere non possimus, qui vel mille mundis satisfacere deberemus.*

2. *Ardens desiderium* divinæ gloriæ & salutis animarum, oritur ex meditatione desiderii, quo Deus esurit salutem animarum & gloriam suam; & desiderii, furoris & rabiæ, quo Diabolus cupit animas perdere atque instar Leonis rugientis devorare. S. Maria

Maria Magdalena de Pazzis hoc inflammata desiderio, de se fatebatur, Christoque asseverabat; *Aded desidero conducere animas ad te; ut mihi sit poena hoc desiderium; & hac poena est aded mihi gravis, quia desiderium hoc implere nequeo, ut mihi sit instar cuiusdam inferni.* Ac proinde legi audiens vitam S. Francisci Xaverii, literasque Japonicas de conversione animarum, videbatur deficere præ desiderio, manendi in illis regionibus, cooperandi conversioni illarum animarum & subeundi pro illis martyrium. Vita. cap. 4. Hoc quoque desiderio æluabat Divus Chrysostomus, qui Homil. 44. in acta Apost. hisce Auditores suos alloquitur: *Millies optarem ipse esse cæcus, si per hoc liceret, animas vestras convertere; aded ipsa luce est vestra salus mihi jucundior.* Tale desiderium & zelus comedit Novitium, 1. pro domo sua, seu seipso, est enim Domus & templum Domini, seu pro salute & perfectione propria. 2. Pro Domo Probationis ac Fratibus suis in Christo. 3. Pro Domo Ecclesie. 4. Pro toto mundo, ut omnes homines salutem & perfectionem consequantur.

3. Tercius zeli actus *servens oratio.* Quæ plurima à Deo impetrat, quamque Deus à nobis exigit. Ided enim Deus Pater Sanctam Catharinam Senensem pro mundo universo iussit preces instituire, ut legitur in Dialogis ejus. Sancta Theresia, noctes integras pro conversione animarum, præsertim hæresi infectarum, orando & flendo infumebat. Et annis omnino quadraginta, quibus orationi se impendit, nihil vehementius Deum rogabat, quam

dilatationem gloriæ divinæ, & augmentum sanctæ Ecclesie. Oratione quoque sanctus Stephanus Paulum lucratus est, nisi enim Stephanus orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Imitetur Novitius, preces atuentes ad Deum fundat, & zelus eum comedat. 1. Domus suæ, seu salutis & perfectionis propriæ. 2. Domus in qua habitat: quam deest sanctitudo. 3. Domus Ecclesie pro qua Christus Dominus Patrem oravit. 4. Domus mundi, tot milliones Infidelium, Hæreticorum & Peccatorum complectentis. Ut ex ea monstra scelerum & errorum ejiciat.

4. *Lacryma & compassio* ob statum miserimum, gravissimæque pericula peccatorum; aternâ scilicet damnationis. Ita flevit Jeremias, cap. 9. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* Ita flevit Salvator ex zelo, videns civitatem. Ita lacrymas fudit Paulus Apostolus, ut ipse scribit Corinthiis Epist. 2. cap. 2. *Ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, ut sciatis quam Charitatem habeam abundantius in vobis.* Imitetur Novitius, fleat ante omnia peccata propria eaque corrigat. 2. Fleat peccata Fratrum suorum, eaque pro viribus emendare studeat. *Vis fratrem corrigere?* ait Sanctus Chrysostomus, *lacrymare, ora DEUM ex corde.* Sic quoque Sancta Monica lucrata est filium suum Augustinum: non enim poterat perire filius tot lacrymarum. 3. Fleat pro Ecclesia, in qua tot reperiuntur peccatores. 4. Fleat pro toto mundo, in quo tanta copia ruentium

ad orem: Et si non potest funderè lachrymas oculorum corporis, fundat lachrymas mentis, condoleat, compatiatur, angulietur, & pro iis clamet ad Dominum. Respice nos ex alto, Domine JESU! Emitte in nos ignem, quem venisti mittere in terram, & voluisti vehementer accendi: Misisti hunc ignem in Sanctum Ignatium, ut duceret Europæos; in Sanctum Franciscum Xaverium, ut converteret Indos & Japonios, in Gasparem Barzæum, ut lucraretur Armuzios, in Andream Oviedum, ut imbueret fide Abassinos, in Matheum Riccium, ut illuminaret Sinas, in Josephum Arichietam, ut ad Christum adduceret Brasilos; emitte eundem ignem in nos; & paulatim dispone nos; ut multa animarum millia, alias peritura, ad ovile tuum feliciter reducamus.

5. *Vigilia, jejunia & varia afflictiones corporis*, pro Deo placando, & salute animarum obtinenda. Sanctus Dominicus semel quotidie, pro peccatorum conversione se flagellis cæcidit. Sanctus Ignatius lacu gelido collo tenuis se immerfit, ut juvenem impudicum à lascivis amoribus abduceret. S. Maria Magdalena de Pazzis, præter extraordinarias corporis afflictiones, ex desiderio animas juvandi, à DEO infirmitates corporis, penas & tribulationes flagitabat: quin & ad penas inferni pro iis tolerandas se offerebat; cumque nonnunquam Deus preces ejus exaudiret, & morbos immitteret, dicere solebat, ista pati, singulari sibi esse solatio, penamque hanc gloriosam vocabat. In vita. Huc quoque spectat

opera, labores, sudores, & actiones quotidianas pro animarum conversione Deo offerre: ut prædicta sancta faciebat, atque ad id ipsum præstandum Moniales suas hortabatur, dicens: Offeramus Deo pro conversione animarum, omne id quod hodie facimus. Vel: Petamus à Deo tot animas, quot passus facimus per monasterium; vel quot acuum filium traducemus; vel quot verba in officio divino proferemus. In vita. Imitetur Novitius. 1. Pro anima suæ salute & perfectione. 2. Pro Fratibus suis. 3. Pro Ecclesia. 4. Pro orbe universo. *Quis comeditur zelo Domus Dei*, interrogat Sanctus Augustinus Tractat. 10. in Joann. & respondet: *Qui omnia, quæ forte ibi videt perversa, satagit emendare, caput corrigere, non quiescit.* Nec illum zelum potuit lat solum à Prælati, sed à quolibet: *Unumquemque, inquit, Christianum zelus Domus Dei comedit, in qua Domus membrum est.*

6. *Doctrina*, sive id catechesi fiat, sive concione, sive monitione. Quanti catechesin fecerit Sanctus Ignatius, patet ex eo, quod Professus, in formula votorum, promissionem de peculiari pterorum cura præscripserit. Et Sanctus Xaverius P. Gaspari Barzæo abiturio inter cætera commendavit, ut hoc munus, tanti ad salutem animarum momenti, alteri non committeret, sed sibi reservaret. Vita L. 6. cap. 16. Nostis R. P. Philippum Scouville, anno præcedente piissimè defunctum, quanto studio annis 40. in missione, catechizandi munus obierit, quot libris impressis, quos manibus teritis, hoc

II,
A. G. uno
nich. per
stantia.

hoc negotium promoverit : quot sodalitatibus cum in finem institutis ; idem perurserit. *Emulamini* 1. Catechizate & predicare vobis. 2. Confratribus, per pia colloquia ; Veterani novellis, Scholastici Coadjutoribus 3. In Paroecia, tanquam Domo vobis assignata. 4. Ad quoscunque divertere vos contigerit.

7. Septimus zeli actus est, exhortationes excipere indefessè. 8. Oculis infirmis & moribundis assistere. 9. Inimicos reconciliare. Hæc suo tempore, vos præstituros proponite : nuam verò, ut ab aliis Societatis nostræ viris maximo cum fructu præstentur, desiderate, orate, opera pœnosa & laboriosa offerite. Hæc si præstituris impensè, Regulam secundam ritè observaveritis, & singulis Charitatis & zeli, fervorisque indicia præbueritis. Si autem frigidus fueris, ait Sanctus Augustinus L. c. *Marcedus*, ad te solum spectans & dicens : quid mihi est curare aliena peccata ? sufficit mihi anima mea. Eja non tibi venit in mentem servus ille, Matth. 25. *Qui abscondit talentum ? Nunquid accusatus est, quia perdidit, & nos quia sine lucro servavit ? Nolite Fratres quiescere lucrari Christo, qui estis lucrati à Christo.*

II. Quantà verò actus isti zelosæ Charitatis sint nobilitate & excellentiâ, quis verbis expresserit ? Si virtutum omnium regina est Charitas, quis actiones ab ea tanquam effectus promanantes nobilissimos præstantissimosque esse negaverit ? præsertim cum illæ vobis cum Christo & Apostolis, Apo-

stolicisque viris sint communes. Agnovit hoc Sanctus Dionysius Areopagita, qui L. de cœlesti Hierarch. cap. 3. edixit : *Omnium divinorum divinissimum esse cooperari in salutem animarum.* Et Sanctus Joannes Chrysostomus Homil. 2. & 40. super Genesin : *Nihil ita gratum est DEO, & curæ, ut animarum salus, docendo nimirum & palam asserente Apostolo : Qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Ut proinde meritò Sanctus Ignacius nos impensè voluerit, in salutem & perfectionem propriam & alienam incumbere.

Sanè si penitentiis, prædictas zeli functiones inspexerimus, eas, & infirmorum curationes, & Dæmonum ab Emergumenis expulsioniones, & mortuorum ad vitam reductiones, longè antecellere animadvertemus. Etenim 1. Cum avaritiæ, superbiæ, iracundiæ, libidinis febres, cæteræque animæ pestes, omnibus corporis infirmitatibus, longè sint deteriores, quod mortem adferant sempiternam ; cuiam dubium esse poterit, illarum quoque curationem, longè præstantiorem esse, quod per actiones zeli perficitur. Deinde cum ob crimina lethalia Diabolus animam possideat, velut Dominus & Tyrannus, eamque velut æternæ damnationis ream, vinculis suis constrictam teneat, sine fine cruciandam ; quis negaverit longè excellentiùs esse, ex ea Dæmonem expellere, quam corpus ad tempus vexautem, inde ejicere ? Tertio illultrè quid est, haud dissiteor, mortuos suscitare & vitam

Q3

reli-

restituere; at an longè illustrius est, animam peccato mortuam, (Anima enim quæ peccaverit ipsa morietur, Ezech. 18.) ad vitam spiritualem revocare? Præclarè more suo id probat Sanctus Gregorius L. 3. Dial. cap. 17. recensens, quomodo sanctus quidam Monachus mortuum suscitavit: *Majus, inquit, miraculum est, prædicationis verbo, atque orationis solatio, peccatorem convertere; quam carne mortuum suscitare: in isto enim resuscitatur caro iterum moritura; in illo vero anima in æternum victura.* Gregorio Magno adtipulatur Sanctus Chrysostomus Tom. 4. Hom. 24. dum ait: *Paulum propterea admirantur, non propter mortuos, quos excitavit; nec propter leprosos, quos mundavit, sed quoniam dicebat: Quæ infirmatur & ego non infirmor? Nam etsi decies mille signa ad hæc adjeceris, nihil dices, quod ei possit conferri: ipse enim asserit, magnam sibi repositam esse mercedem, non quia fecit signa; sed quia infirmis fuit tanquam infirmus; & quando aliis se præponit Apostolis, non ait, plura quam ipsi signa feci; sed plus quam ipsi laboravi.*

Utique prædicto Ecclesie Doctore consentit doctissimus Richardus Victorinus Lib. 1. de præparat. in Cantic. cap. 44. ubi ait: Ignoro an possit hæc gratiâ, majorem aliquam DEUS homini conferre, quam ut ejus ministerio, homines perversi in melius mutantur; & de filiis Diaboli, filii DEI efficiantur. An fortè videbitur cuiquam majus esse mortuos suscitare? Ergone majus erit, suscitare carnem

iterum morituram, quam animam in æternum victuram? Ergone majus erit carnem revocare ad gaudia mundi, quam animam restituere gaudia cœli? Ergone majus erit restituere carni gaudia transeuntia, iterum peritura, quam animam reddere bona æterna, æternum mansura? O qualis dos, quanta dignitas, talem gratiam à DEO accipere! Non debuit Dei Sponsa à Sponso suo dotem aliam accipere; non decuit celestem Sponsum, Sponsæ suæ aliam dotem donare, quam ut per adoptionis gratiam, possit multos Dei filios gignere, & de filiis iræ, filiiisque gehennæ regni cœlestis hæredes adscribere. Hactenus Richardus.

Quare, Dilectissimi, cum tam varii, tamque multiplices sint æli Charitatisque functiones & exercitia, quibus ex Instituto nostri Legibus animas DEO lucrari valemus; & quorum aliqua modo possumus exercere, alia nondum, Sacerdotii defectu: saltem à Tyrocinio auspiciemur, & Charitatis fortis & zelose fundamenta jaciamus; à parvis inchoemus: sæpe animas ad salutem perducere atdenter desideremus, ferventes pro earum conversione preces fundamus, lacrymas si non oculorum, saltem cordis emittamus, miserisque condoleamus; corporis afflictiones eum in finem Deo offeramus, quotidianas actiones illuc dirigamus, in instructione puerorum & rudium catechesi, omnem industriam ponamus, cumque nondum pro concione dicere, aut poenitentes expiare

piare valeamus, nec moribundis afflittere, aut dissidentes reconciliare possimus pro aliis, qui id possunt, ut efficaciter & feliciter istis muneribus fungantur, DEUM rogemus. Hæc ratione crescet Charitas nostra, proficiet zelus initio debilis, & cum tempore evadet, fortis ut mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio nostra, quibus

grandiores labores, molestias, ac difficultates pro DEI gloria & animarum salute vincamus & detriumphemus: atque ita DEO gratiora opera exhibebimus, quam si infirmos curamus: Dæmonia expelleremus, ac mortuos ad vitam revocaremus.



EXHORTATIO V. IN REGULAM II. SUMMARI.

Ostendit præstantiam Instituti, ex professo zelum animarum exercentis.

T H E M A.

Tu autem vade, & annuntia Regnum Dei. Lucae 9.

Vel ex Regula II.



Cælesia est Regi-
na illa, Christi
Regis Regum
Sponsa dilectis-
sima, aut ea Cha-
ritatis cyclade
exornata, de
qua Vates regius
Psalm. 44. inquit: *Assisit Regina à dex-
tris tuis, in vestitu deaurato, circumdata*
*varietate. Omnium scilicet Ordinum
Religiosorum, veste & instituto discre-
pantium, varietate circumamicta. Ad
hanc vestem polymytam Sponsa per-
tinent Ordines omnes, ac proinde om-
nes laude, nulli vituperio digni sunt.
Omnes enim, sunt castra Dei: Omnes
sunt terrestris caelum. Ex mente S. Joannis
Climaci, Grad. 4. Coll. 11. Omnes, ce-
leste S. Gregorio Nazianzeno Orat. ult. in*